

† Fr. l. prof. Santos Cavero (1900-1932)

(*Prov. Hisp.*)

Sicuti primus Pater Congregationis in Sinis mortuus, R. P. Secundus Velasco, iam biographum suum invenit<sup>1</sup>, ita nuper etiam primus Frater laicus ibidem vita defunctus Santos Cavero<sup>2</sup>. Et iure quidem optimo R. P. Retana huic vitae verba inscripsit haud semel cum admiratione proleta ab iis qui cum hoc Fratre vivebant: «Adhuc sunt Sancti! Eorum unus est Santos Cavero». Quicumque illam biographiam egregie conscriptam legerit, facere non poterit quin hunc humilem Fratrem laicum alterum S. Gerardum aestimet, non ob miracula quidem in vita patrata, sed ob morum integritatem, humilitatem, oboedientiam, spiritum poenitentiae, devotionem erga SS. Sacramentum, orationem continuam, brevi propter virtutes plane non communes et S. Gerardi nostri proprias. Ad confra-

---

<sup>1</sup> E. MORÁN, «El grano de trigo». Cfr. *Analecta XI* (1932), 127 et VII (1928), 349-354.

<sup>2</sup> Vide infra in *Bibliographia* sub voce RETANA.

trum aedificationem hodie e libro Patris Retana saltem haec pauca excerpere liceat.

Die 25 Oct. 1900 Santos Caverio natus est in San Félix de la Vega (*León*), qui pagus fere 10 km ab Asturica Augusta (*Astorga*) distat, eodemque die ex aqua et Spiritu Sancto renatus est<sup>1</sup>. Viget adhuc in illa regione avita fides et disciplina. Santos patrem paucis post nativitatem mensibus amisit, remanens unicus huius matrimonii christiani fructus, nec secundae nuptiae, ad quas mater Clara Miguélez postea convolavit, primogenito alias fratres sororesve adduxere.

Sicut nemo a puerulo iam maturam sanctitatem exspectat, ita etiam heros noster in illa prima aetate haud immunis erat ab omni defectu (sic nonnulla cerasa ex ipsius parochi horto furatus est! nec levem victoriam de rubore reportavit, cum hoc «delictum» in prima confessione patefecit). Attamen vix dubitari potest, quin baptismatis vestem candidam nunquam gravi peccato foedarit; immo postea voto insuper se obstrinxit ad vitandum omne peccatum veniale deliberatum, et religiosus mortem libentius subiisset quam ut illum Regulae praescriptum consulto violaret.

Quanto cum successu puer ingenio pollens scholam avunculi sui frequentarit, clare ostendunt eius epistolae aliaque scripta privata, sine mendis orthographicis vel grammaticalibus nitide stiloque limpido exarata.

Sicut S. Gerardus, etiam Santos primum Ordinem Cappuccinorum ingredi voluit; quod cum exsequi ob matris renitentiam non posset, d. 25 Febr. 1917 ad vicinum nostrum collegium Asturicense venit candidatus, et inde ab initio amorem existimationemque vocationis plane singularem manifestavit. Eius consanguinei, aegerime ferentes, quod humilis Fratris servientis statum sibi elegisset, haud semel eum a proposito avertere studuerunt, at frustra; et Santos, quo securius eorum invitationibus resisteret, semper cum socio ad locutorium ibat. In coenobio sutrinam discere iussus est, et per totam vitam caeca oboedientia, quidquid Superiores praecipiebant, exsequabatur.

Die 3 Maii 1918 profectus est in domum novitiatus Nava del Rey, sed post aliquot hebdomades cum ingenti suo dolore ad domum paternam reverti debuit, ut prius hernia sese liberaret. Inde P. Magistro scripsit: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* et licet nondum plene curatus ab operatione chirurgica, equo insidens Asturicam properavit atque d. 3 Iulii cum omnium stupore Navae ad ultimas communitatis preces suo loco in choro iterum apparuit.

<sup>1</sup> Eundem natalem habuit consobrinus eius, R. P. Iosephus Miguélez, quocum Santos infantiae gaudia communia habuit et pariter in fine vitae adversitates Missionis Sinensis. Alii quoque complures ex eius propinquis Instituto nostro nomen dederunt.

Primum tyrocinium peregit cum fervore haud communi, Magistro R. P. Raphaele Cavero, et votis d. 24 Aug. 1919 nuncupatis eodem die domum iuvenatus *El Espino* petuit, postero die usque ad tardam horam pomeridianam ieunans, ne s. communione privaretur.

In Spinensi collegio erat per biennium tutor et ianitor, et quo fuerit animo tunc temporis imbutus, elucet ex his verbis ad confratrem datis: «Vita Redemptoristica Fratris laici consistit in imitanda Sacrae Familiae vita occulta, qua, pariter ac contionatores, animas salvat: nam quo magis quis voluntatem Dei facit et Domino N. se unit, eo plures animas salvat».

Certo die quidam sodalis Fratri Santos ephemeridem monstrat dicens: «Vide, quid de militum dilectu hic dicatur». Iam Santos, ad quem hoc negotium spectabat, ad legendum sese accingit, at subito, recordatus praeceptum Constitutionum, a legendo abstinet, semper fidelis, etiam in minimis. Revera Frater noster ad arma vocatus est et annum militiae partim Asturicae, partim Matriti, partim in Africa inter belligerantes transegit, ubique fulgidum exemplar omnium religiosorum in pari condicione versantium; in castris enim non modo legem divinam et ecclesiasticam (ut ieunium), sed Regulas quoque et Constitutiones, quantum poterat, ad amussim observare pergebat. Si vero quod tempus liberum habebat, illico ad atria Domini volabat, ut ibi habitu religioso indutus religiosi vitam perfecte viveret. De rebus adversis, quas tempore militiae perpessus est, nunquam ne verbum quidem dixit.

Exente a. 1922 vitae claustralii plene redditus, mense Martio 1923 in domum iuvenatus rediit ibique festo Annuntiationis B. M. V. 1924 vota perpetua emisit, secundo novitiatu sub P. Chavatte sanctae memoriae transacto.

Mense Augusto 1925 officium ei iniunctum est, quod virilem, immo heroicam virtutem huius iuvenis 25 annorum in meridiana luce posuit: servitium nempe personale famosi P. Cagiano de Azevedo<sup>1</sup>, tum senis plane caeci 82 annorum multorumque meritorum. Quo in famulatu Frater permansit usque ad venerandi senis obitum (kal. Nov. 1929), semper idem: pius, prudens, patiens, benignus, animo collectus, «S. Francisci contionem» angelica sua modestia ubique repetens, sive in populosis compitis Matriti et Barcinonis, sive in balneis Fitero (Navarra), sive in palatiis principum...

Etiam australis plaga Hispaniae huius herois virtutem admirari potuit, quandoquidem ineunte a. 1930 Granatam translatus est; verum inde anno insequenti, cum ibi omnia susque deque everterentur<sup>2</sup>, cum confratribus Matritum aufugere coactus est.

<sup>1</sup> Cfr. de eo *Analecta* IX (1930), 52-56.

<sup>2</sup> *Analecta* XI (1932), 25 sq.

Hoc anno id consecutus est, ad quod iam a. 1928 sese obtulerat: missus est cum RR. PP. Pedrero, Campano, Cañas Fratreque Alfonso González in Sinensem Missionem, a Provincia Hispanica quadriennio ante inauguratam. Hac occasione iterum ostendit, quantopere mundo esset mortuus; iussus enim a Superioribus ante discessum invisere familiam suam, solummodo per diem in pago natali, et huius diei longe plurimum tempus in loci ecclesia mansit, Asturicae vero sex dies secessus spiritualis animae suae iustitiam esurienti concessit. Ceterum quamdiu in religione vixit, amor propinquorum in eo fuit plane supernaturalis; religiosissime omni inutili litterarum commercio abstinuit, nec unquam verbum scripsit reli-giosum minus decens.

Die 4 Dec. 1931 cum sociis Marsilia navi profectus, d. 19 Ian. 1932 in Siping advenit, ubi ultimae gravesque tribulationes eum manebant, probantes denuo eius virtutem ut aurum purissimum. Sueta sua hilaritate et patientia primum hiemis gelu immane et deinceps aestus horribiles aestatis sustinuit; nam ab illa provincia Honan ver et autumnus fere exulant, hieme autem thermometrum descendit usque ad  $-25^{\circ}$  et aestate ascendit ad  $+45^{\circ}$ . Sed ad Fratrem Santos cito Dominus venit cum mercede sua.

Postridie festum S. P. N. Alfonsi quatuor Fratres in unum congregati exercitia spiritualia inceperunt duce ipso Pl. R. P. Visitatore Bernardo. Die 5, qui fuit prima fer. VI mensis simulque festum B. M. V. *ad nives*, omnia peregit exercitia ut reliqui, licet iam male se haberet, et demum h. 5 pom. valetudinis statum Superiori manifestavit. Mox febris ascendit usque ad  $40,4^{\circ}$ , ita ut Frater amitteret loquela, non vero vultum illum pacificum dulce subridentem. Extemplo cessat omnis sudor et membra gelu contremiscunt. Administrant ei extremae unctionis sacramentum, et iam h. 10 inter preces lacrimasque confratrum efflat animam. Postero die etiam Fr. Nicanor (Alfonsus Gil) moritur. Quae fuerit causa duplicitis huius mortis tam repentinae, non plane constat, forsitan sideratio seu morbus solstitialis.

Ad complenda superius dicta saltem haec pauca de virtutibus Fr. Santos adiungere placet. Sinenses eum appellabant «Fratrem illum bonum, qui continuo ambulat oculis in terram demissis». — Abnegatio sui ipsius, in quo Instituti nostri spiritus consistit, in eo mire splendebat. Reliquit amplius 500 paginas propositorum, orationum, principiorum vitae spiritualis, quae in usum privatum notaverat, sed vix bis terve pronomen primae personae ibi occurrit, adeo se ipso vacuus erat. Contra plenus erat sancto Evangelio, cuius lectione et meditatione non satiabatur et cuius substantia in illis paginis privatis reviviscit. — In vita saepe humiliabatur: non erat ut alii mortales — ob quandam dexteritatis defectum cum omni sua cura et attentione pluries aliquod vas vel orbem frangebat — caecus P. Aze-

vedo etiam sine causa eum saepenumero vituperabat: ipse vero semper eandem animi aequabilitatem et modestam suam hilaritatem ostendebat. — Nunquam ex eius ore auditum est verbum criticae vel murmurationis contra Superiores aut confratres nec talia dicta permittebat.

Iesus Christus erat in veritate magnes cordis eius, et arte singulari etiam diebus negotiosis quam plurimis Missis assistebat, saltem parti essentiali, Dominicis autem et festis omnibus Missis a prima usque ad ultimam. — Longo illo tempore, quod ante SS. Sacramentum immobililis et a sensibus veluti abstractus transigere solebat, merito creditur ad mysticas altitudines evolasse, sicut etiam in notulis eius intimis interdum mysticos accentus audimus. — Hunc Iesu amatorem eximium etiam Virgini Matri tenerrimo affectu fuisse deditum quasi per se patet. Iam a. 1931 exspectaverat mortem pro festo Assumptionis B. M. V., nimio incensus desiderio videndi caelestem Matrem; sed per annum novas gemmas coronae suae addere debuit, donec anno ob sollemnia nostra bis saecularia memorabili, pridie novenam illius festi Mariani, ad caelum evolaret.

Sicut S. Gerardo nostro, ita etiam Fratri Santos voluntas Dei erat tota vitae substantia. Paulo ante mortem (17 Iul. 1932) in quadam epistola scripsit: « Semper ibi nos esse oportet, ubi Deus nos esse vult et sicuti vult, quapropter non debemus anhelare aliud nisi hanc unam rem, ut cognoscamus quod Deus circa nos velit, idque faciamus in tempore et in aeternitate ».

Sed ne longi simus, confratres ad librum Patris Retana tam bene confectum remittimus, concludentes verbis religiosi eminentis: « Oremus Deum, ut in Congregationis nostrae bonum nobis multos mittat Fratres huius sancti heroës similes ». Et faxit Deus, ut Fratris Santos sanctitas aliquando infallibili Ecclesiae voce approbetur in conspectu caeli et terrae!